

ferunt; sicut cum fortitudini attribuunt fortiter persistere non solum in periculis mortis, sed etiam in quibuscumque periculis. Sed primum dicitur proprie, secundum autem appropriate, vel per reductionem.

Ad tertium dicendum, quod iustitia quaedam est generalis, quaedam autem specialis. Specialis quidem est secundum quod habet materiam determinatam (1) in communicationibus quae ad alterum sunt secundum rationem debiti: & sic ponitur hic una de quatuor cardinalibus virtutibus. Alio modo dicitur generalis, & hoc dupliciter. Uno modo secundum quod est quaedam habitudo recta ipsius animae, prout homo debito modo ordinatur & in seipso, & ad alia; & sic dicitur iustificari impius. Alio modo, prout est idem quod omnis virtus, ratione differens, prout actum virtutis quis ordinat ad bonum commune, secundum imperium legis; quod contingit in actibus omnium virtutum, ut Philosophus dicit V. Ethic. cap. 11. & hoc infra melius patebit, quæst. 11. & 111.

## ARTICULUS II.

*Utrum virtutes morales insint à natura.*

*I. P. quæst. xx. art. 3. & de verit. quæst. 1. art. 8.*

1. **A**D secundum sic proceditur. Videtur quod virtutes morales insint nobis à natura. Damascenus dicit in III. Lib. cap. xvi. *Naturales sunt virtutes, & naturaliter, & aequaliter insunt omnibus.* Hoc idem etiam dicit Antonius (apud Athanasium in ejus vita) in exhortatione ad Monachos.

2. Præterea. Secundum Philosophum in II. Physic. text. v. quæ ex principiis naturalibus causantur, natura sunt. Sed ratio est de principiis naturalibus hominis. Cum ergo virtutes ex ratione procedant, videtur quod sint naturales.

3. Præterea. Homo est perfectior inter alia animalia. Sed aliis animalibus à natura inest dispositio ad agendum ea quæ eis comperunt, sicut hirundini ad faciendum nidum. Cum ergo virtutes nihil aliud sint quam inclinationes ad opera convenientia homini, videtur quod virtutes naturales sint homini indita.

Sed contra. Secundum Dionysium IV. cap. de Divin. Nomin. bona naturalia non amittuntur per peccatum. Sed virtutes amittuntur. Ergo non sunt naturales.

Præterea. (2) Ea quæ sunt à natura, non assuefacimus. Sed in operibus virtutum valet assuefactio. Ergo virtutes non sunt à natura.

## QUÆSTIUNCULA II.

1. Ulterius. Videtur quod non possint acquiri ex actibus. Continentia enim secundum Philosophum in VII. Ethic. cap. 1. est aliquid minus virtute. Sed continentiam non possumus ex actibus nostris acquirere: Sap. VIII. 21. (3) *Scio quod non possum esse continens nisi Deus det.* Ergo multo minus aliæ virtutes ex actibus acquiri possunt.

2. Præterea. In nulla re per aliquam actionem aliquid acquiritur, nisi per actiones aliquid res illa accipiat. Sed operans, in quantum operatur, nihil recipit, immo magis operationem à se emitit. Ergo ex

(1) Al. communicationis. (2) Forte eis. (3) Vulgata: *Et ut scivi quoniam aliter non possum esse continens nisi Deus det.*

hoc quod operatur, non acquiritur in ipso aliqua virtus.

3. Præterea. Nihil agit ultra suam speciem: quia effectus non potest esse nobilior causa. Sed operationes quæ sunt ante virtutem, non sunt virtutum, sed potentiarum naturalium tantum. Cum ergo virtus sit nobilior quam operatio, quæ est ex potentia naturali tantum, videtur quod per hujusmodi operationes virtutes acquiri non possint.

4. Præterea. Una operatio non potest habitum virtutis causare, sicut Philosophus dicit in I. Ethic. cap. x. similiter nec plures, ut videtur: quia plures operationes non sunt simul, & quod non est, non agit. Ergo nullo modo ex actibus virtutes acquiruntur.

Sed contra. Philosophus dicit in Libro de memoria, & reminiscencia, lect. vi. quod consuetudo est quasi natura. Ergo à consuetudine efficitur aliquid homini connaturale, & facile. Sed nihil aliud virtus est quam quaedam facilitas, & inclinatio per modum naturæ ad bonum rationis, ut dicit Tullius, Lib. II. de inventione. Ergo ex consuetudine acquiritur aliqua virtus.

Præterea. Malum non est fortius in agendo quam bonum. Sed malis operibus acquiritur aliquis habitus vitiosus. Ergo ex bonis operibus acquiritur aliquis habitus virtuosus.

## QUÆSTIUNCULA III.

1. Ulterius. Videtur quod non oporteat ponere aliquas virtutes morales infusas. Ea enim quæ per principia naturalia possunt causari, non oportet quod divinitus præter naturalia principia causentur, nisi aliquando miraculose fiat; sicut quod sanitas restituatur, quam etiam natura posset restituere, licet non statim. Sed ad virtutes morales possumus pervenire per naturalia principia, ut probatum est. Ergo non indigemus quod virtutes nobis infundantur.

2. Præterea. Ad actum quantumcumque perfectum non requiritur nisi quod sit actus rectus, & meritorius. Sed ad faciendum actum rectum sufficit virtus acquisita, ad faciendum autem meritorium sufficit charitas. Ergo non indigemus virtutibus moralibus infusis.

3. Præterea. Virtutes quas Deus in nobis sine nobis operatur, sunt mentis qualitates, ut dicit Augustinus (pluribus in locis) & non in viribus organis affixis. Sed aliquæ moralium virtutum, ut dicitur est, sunt in irascibili, & concupiscibili, quæ non sunt partes mentis, cum sint vires organis affixæ. Ergo virtutes istæ ad minus non possunt esse infusæ.

4. Præterea. Virtutes morales à consuetudine dicuntur, ut patet II. Ethic. cap. 1. Sed quod est ex consuetudine, non est infusum. Ergo virtutes morales non possunt esse infusæ.

Sed contra. Sap. VIII. 8. *Sobrietatem, & prudentiam docet, & iustitiam, & virtutem:* & tanguntur ibi istæ quatuor cardinales virtutes, ut in littera Magister dicit, quæ sunt virtutes morales. Sed sapientia Dei non solum docet intellectum instruendo, sed etiam affectum movendo. Ergo istæ virtutes etiam sunt infusæ.

Præterea. In pueris baptizatis, & in contritis de

peccatis, sunt omnes virtutes. Sed non possunt esse acquisitæ, quia (4) proprium actum virtutis non participant, ut dicitur I. Ethic. cap. xiii. neque etiam unus actus contritionis sufficere potest ad acquirendum omnes virtutes. Ergo omnes virtutes morales etiam sunt infusæ.

## QUÆSTIUNCULA IV.

1. Ulterius. Videtur quod etiam non differant specie infusæ ab acquisitis. Agens enim, cum sit extrinsecum, non diversificat speciem: unde ejusdem speciei est oculus quem Deus cæco nato restituit, & quem in aliqua creatura causat. Sed virtutes infusæ differunt ab acquisitis penes agens primum. Ergo non differunt specie.

2. Præterea. Habitus specificantur ex actibus, & objectis. Sed idem est objectum, & idem actus temperantiae infusæ, & acquisitæ. Ergo non differunt specie.

3. Si dicatur, quod actus differunt, in quantum sunt meritorii actus infusarum, non autem actus acquisitarum; contra. Actus virtutis cuiuslibet non est meritorius, nisi in quantum est formatus à charitate. Sed formatum, & informe in virtutibus non facit differentiam speciei, sicut patet in fide, cum sit differentia penes extrinsecum. Ergo virtutes infusæ ab acquisitis non differunt specie.

4. Si dicatur, quod infusæ propter Deum operantur, non autem acquisitæ; contra. Deus non est objectum cardinalium virtutum, sed theologiarum. Cum igitur virtutes non recipiant speciem à fine ultimo, sed ab objecto, & actu, videtur quod adhuc per hoc non differant specie virtutes acquisitæ, (5) & infusæ.

Sed contra. Quælibet pars posita in diffinitione, facit differre secundum speciem. Sed infusio ponitur in diffinitione virtutis ab Augustino, secundum quam Deus in nobis operatur sine nobis. Ergo infusa differt specie ab acquisita.

Præterea. Duæ formæ ejusdem speciei non possunt esse in uno subjecto. Sed virtus infusa est simul cum virtute acquisita, ut patet in adulto qui habens virtutem acquisitam ad baptismum accedit, qui non minus recipit de infusis quam puer. Ergo virtus acquisita, & infusa differunt specie.

## SOLUTIO I.

Respondeo dicendum ad primam quæstionem, quod sicut in naturalibus posuerunt quidam formas omnes existere in materia, & quod agens naturale extrahit eas de occulto ad manifestum, in quantum removel ea quæ prohibebant formam illam apparere; ita etiam dixerunt quidam de habitibus animæ: unde Plato dixit, quod omnes scientiæ sunt in anima à natura, & addiscere non est aliud quam recordari: & similiter videtur dicere Damascenus, Lib. III. de Fid. cap. xiv. de virtutibus, quod insunt nobis à natura, & per exercitium tolluntur impedimenta virtutum; sicut ferri æruginem auferentes, videmus claritatem, quæ naturaliter ei inest, inducere. Omnes autem istæ opiniones secundum aliquid veræ, & secundum aliquid falsæ. Veræ quidem sunt, in quantum prædictorum aliqua inchoatio est à natura, sicut forma existit in potentia materiæ, & scientia conclusionum in principiis

*In III. Sent. Tom. III.*

(4) Al. pium. (5) Al. sed infusæ. (6) Nicolai ad marginem: *Planius sic reddi potest: Cum idonei naturæ sintus ad eas suscipiendas, post assuetudinem autem perficiantur.*

universalibus: quia quod in particulari discitur, prius in generali sciebatur, & virtutes præexistunt in naturali ordinatione ad bonum virtutis, quæ est in ratione cognoscente hujusmodi bonum, & etiam in voluntate naturaliter appetente illud, & etiam quandoque in inferioribus viribus, in quantum sunt naturaliter subjectæ rationi: & in quibusdam ex ipsa complexione est minus de resistentia ad bonum rationis, secundum quod Philosophus dicit in VI. Ethic. cap. 1. quod quidam confestim à nativitate sunt fortes, & temperati: & ideo à Tullio dicitur, quod seminaria virtutum, sive initia, sunt naturalia. Falsæ autem sunt prædictæ opiniones, in quantum complementum formarum, secundum quod sunt in actu, est ab agente extrinsecum; scientiæ vero complementum est ex doctrina, vel inventione; virtutum autem ex assuefactione, vel infusione: & hoc est quod Philosophus II. Ethic. cap. 1. dicit (6) innotis nobis eas suscipere, perfectis vero per assuefactionem.

Et per hoc patet responsio ad auctoritatem Damasceni.

Ad secundum dicendum, quod ratio & est natura hominis, & est ratio: unde ex hoc quod est ratio, addit aliquem modum causandi supra modum quo aliquid ex altero causatur naturaliter; & secundum hunc modum ratio est principium virtutum.

Ad tertium dicendum, quod homo propter hoc quod habet rationem, quæ collativa est, se habet ad multas operationes, quarum ratio principium est: & ideo non providentur homini à natura necessaria ad regumentum, & defensionem, sicut aliis animalibus, ut pili, & unguis: quia non posset instrumentum aliquod determinatum competere ad tam varias, & diversas operationes: & ideo dantur sibi manus, per quas possit sibi facere necessaria: secundum quod ei competit ex ratione. Et similiter non potuit esse in homine complementum ex natura, quia non est idem conveniens omnibus. Oportet enim medium virtutis in diversis diversimode accipi.

## SOLUTIO II.

Ad secundam quæstionem dicendum est, quod quidam Philosophi, quos sequitur Avicenna, posuerunt omnes formas esse à datore, & quod agens naturale non facit nisi dispositionem ad formas illas: & similiter etiam dicit Avicenna, quod scientia, & virtus sunt à datore, & per studium, & exercitium disponitur anima ad recipiendum influxum dictorum habituum.

Hæc autem positio tollit naturalem virtutem, quæ inest cuilibet principio naturali ad faciendum sibi simile, secundum quod materia in quam agit, est receptiva suæ similitudinis. Quod quidem necessarium est ex hoc quod omne quod agit, agit ex hoc quod est in actu: unde oportet quod omne quod est in actu aliquid, aliquo modo possit esse actum illius; & ideo omne naturale principium natum est inducere suam similitudinem per actum suum. Cum igitur principia scientiarum, & virtutum sint naturaliter nobis indita, ut dictum est, oportet quod per actiones ex illis principiis prodeuntes, virtutum, & scientiarum habitus compleantur: & huic quidem attestatur experientia: quia ex consuetudine efficitur aliquid facile, & delectabile, quod prius erat diffi-

Zz

cile; & hoc est signum habitus generati, scilicet delectatio operis.

Ad primum igitur dicendum, quod nullum bonum potest homo habere, nisi Deus det; sed quædam habentur à Deo non cooperantibus nobis, sicut ea quæ sunt infusa; & quædam nobis cooperantibus, sicut acquisita; & quædam cooperante natura, sicut naturalia.

Ad secundum dicendum, quod in operibus animæ est quidam gradus, secundum quod una potentia alteri subjacet; & in eadem potentia est inveniri superius, & inferius, secundum quod ad diversa objecta comparatur. Inferius autem natum est recipere à superiori; & ideo per operationes egredientes à ratione naturali, & voluntate, in quibus præexistunt seminaria virtutum, acquiritur habitus in irascibili, & concupiscibili; & per operationem voluntatis, & rationis, in quantum sunt finis, & principiorum primorum, acquiritur in eis, quantum ad ea quæ sunt ad finem, & quantum ad conclusiones, habitus scientiæ, & virtutis; & sic habitus acquiritur per operationem quæ ab operante egreditur, secundum quam inferior pars à superiori recipit. In superiori autem parte non est habitus, nisi vel naturalis, vel infusus.

Ad tertium dicendum, quod sicut principia sunt potiora conclusionibus, & virtute eas continentia: ita seminaria virtutum, quæ sunt in suprema parte animæ, sunt digniora virtutibus, quæ sunt in partibus inferioribus, & continent eas virtute: & ideo operationes procedentes ex illis principiis, sunt similes operibus virtutum, & possunt habitum virtutis perficere; sicut ex consideratione principiorum generatur scientia conclusionum.

Ad quartum dicendum, quod sicut multæ guttæ eavant lapidem, in quantum ultima agit in virtute omnium præcedentium, quæ tantum habitabant materiam ad cavationem, nihil cavantes; ita ultima operatio agens in virtute omnium præcedentium, habitum virtutis causat.

## SOLUTIO III.

Ad tertiam quæstionem dicendum, quod, sicut dictum est, seminaria virtutum quæ sunt in nobis, sunt ordinatio voluntatis, & rationis ad bonum nobis connaturale. Cum autem sit homo ex divina liberalitate ordinatus ad quoddam bonum supernaturale, scilicet æternam gloriam; ex prædictis virtutum seminariis non possunt virtutes causari fini prædicto proportionatæ. Unde oportet virtutes quæ vitam nostram ordinant ad finem illum, ex eo causari ex quo est nobis inclinatio in finem illum. Hoc autem est per Dei gratiam: unde oportet nos aliquas virtutes morales infusas habere.

Ad primum igitur dicendum, quod sanitas per miraculum restituta, non est ad aliud ordinata quam sanitas quæ fit ex natura: & ideo illis qui habent sanitatem ex naturalibus principiis, non est necessaria sanitas quæ est per miracula. Et ideo non est simile de sanitate, & virtutibus infusis, quæ ad aliud ordinant quam acquisitæ, ut dictum est.

Ad secundum dicendum, quod rectitudo actus est ex proportionem ad finem; ad diversos autem fines diversimode accipitur actus proportio: unde aliquis actus est rectus proportionatus bono civili, qui non est rectus proportionatus gloriæ æternæ: unde oportet quod sint aliæ virtutes infusæ, quæ faciunt actus rectos ex proportionem ad finem.

Ad tertium dicendum, quod virtutes infusæ, & acquisitæ non sunt in irascibili, & concupiscibili, nisi secundum quod participant aliquantulum rationem: & ex hac parte non habent dependentiam ab organo corporali, sed continentur sub mente, sicut & sub ratione, in quantum ipsam participant.

Ad quartum dicendum, quod mos secundum quem dicitur moralis virtus, importat inclinationem quamdam appetitus ad bonum, vel malum faciendum. Et quia hæc inclinatio frequenter est ab assuetudine, ideo mos sic dicitur, à more prout consuetudinem importat, descendit. Sed dicta inclinatio non semper est ab assuetudine, sed quandoque à natura, sicut dicuntur mores brutorum in VIII. de animalibus cap. xxix. vel etiam ex Dei dono, & sic virtutes infusæ morales dici possunt.

## SOLUTIO IV.

Ad quartam quæstionem dicendum, quod virtutes acquisitæ, & infusæ differunt specie, scilicet fortitudo fortitudine, & temperantia, & sic de aliis: quia, ut dictum est, fines sunt sicut principia in operativis. Si autem esset aliqua scientia quæ non posset reduci ad principia naturaliter cognita, non esset ejusdem speciei cum aliis scientiis, nec univoce scientia diceretur. Unde cum fines virtutum infusarum non præexistant in seminariis naturalibus virtutum, sed naturam humanam excedant; oportet quod virtutes infusæ à virtutibus acquisitis, quæ ab illis seminariis procedunt, differant specie. Unde & in alia vita hominem perficiunt, acquisitæ quidem in vita civili, infusæ in vita spirituali, quæ est ex gratia, secundum quam homo virtuosus est membrum Ecclesiæ.

Ad primum igitur dicendum, quod effectus proportionatus agenti differt specie secundum diversitatem agentis: unde animalia generata ex semine, & ex putrefactione non sunt ejusdem speciei. Virtus autem divina, quamvis possit super omnes effectus, & in infinitum eos excedat, tamen aliqui effectus sunt qui non possunt esse nisi ex virtute divina, & tales effectus non sunt proportionati aliis. Unde tales effectus differunt specie ab illis effectibus qui etiam ab aliis causis produci possunt, quamvis & divina virtus illos possit producere.

Ad secundum dicendum, quod quamvis sit idem actus virtutis acquisitæ, & infusæ materialiter, non tamen est idem actus formaliter: quia per virtutem acquisitam collimitantur circumstantiæ secundum proportionem ad bonum civile, sed per virtutem infusam secundum proportionem ad bonum æternæ gloriæ: unde etiam aliquid superfluum secundum virtutem civilem est moderatum secundum virtutem infusam, sicut quod homo jejundet, & se voluntarie morti offerat propter defensionem fidei.

Ad tertium dicendum, quod penes hoc quod est esse meritorium, non differunt specie, nisi in quantum virtutes acquisitæ sunt magis propinquæ ad meritum propter finem ad quem ordinantur.

Ad quartum dicendum, quod quamvis finis ultimus non faciat identitatem in specie, facit tamen diversitatem, sicut generis diversitas facit diversitatem in specie. Tamen sciendum, quod relatio actualis ad remotum finem non facit prædictam differentiam, sed originalis relatio ad ipsum, secundum scilicet quod ex diversitate finis fit diversa proportio in actu, & habitu.

## ARTICULUS III.

Utrum virtutes morales consistant in medio.

1. 2. quæst. lxxiii. art. 3. & 4. & quæst. lxxiv. art. 3. & de ver. quæst. 1. art. 3.

1. Ad tertium sic proceditur. Videtur quod virtutes morales non consistant in medio. In nullo enim indivisibili est accipere medium, & extrema. Sed passiones, & operationes, circa quas sunt virtutes morales, sunt indivisibiles. Ergo non sunt in medio.

2. Præterea. Medium æqualiter distat ab extremis. Sed quædam virtutes plus appropinquant uni extremo quam alteri, sicut fortis plus assimilatur audaci quam timido, ut dicit Philosophus in III. Ethic. cap. xiv. & xvi. & II. cap. viii. Ergo virtutes morales non sunt in medio.

3. Præterea. Non est idem medium, & extremum. Sed virtus est extremum, quia est ultimum potentia, ut dicitur in I. cæli, & mundi text. cxvi. Ergo non est in medio.

4. Præterea. Quodcumque bonum consistit in medio, malum consistit in extremo, ad minus uno; sicut in castitate quantumcumque homo abstineat à venereis, non peccat: similiter & in magnanimitate, quæ est extremum in magnitudine, in quantum ad maxima tendit: similiter etiam in veritate, quia non potest homo nimis verum dicere. Ergo videtur quod bonum virtutis non consistat in medio.

5. Præterea. Si virtus sit medium, non est medium nisi inter duo vitia. Sed aliqua virtus est quæ non est inter vitia, sicut justitia: quia si plura accipiat, peccat; si minus autem ei detur, non peccat. Ergo non omnis virtus moralis consistit in medio.

Sed contra est quod dicit Philosophus in II. Eth. cap. v.

Præterea. Sicut se habet ars ad factibilia, ita se habet virtus ad agibilia. Sed ars corrumpitur ex superfluo, & diminuto. Ergo & virtus: ergo est in medio.

## QUÆSTIUNCULA II.

1. Ulterius. Videtur quod in justitia non sit medium rei. Diffinitio enim generis debet salvari in qualibet specierum. Sed in diffinitione virtutis ponitur quod est medium secundum rationem. Ergo in justitia est medium rationis, & non medium rei.

2. Præterea. Propter hoc in aliis virtutibus dicitur esse medium rationis, & non medium rei, quia diversimode determinatur medium secundum diversas condiciones; sicut aliquid est multum ad comedendum uni, quod non est multum ad comedendum alteri. Sed diversa conditio etiam observatur in justitia, quia justitia distributiva non æqualiter tribuit omnibus, sed unicuique secundum quod dignus est: similiter etiam in commutativa non tantum punitur qui percutit privatum hominem quantum qui percutit Principem. Ergo in justitia non est medium rei, sicut nec in aliis virtutibus.

3. Præterea. In illo accipiendum est medium virtutis quod per virtutem rectificatur, & perficitur. Sed finis virtutum non est rectificatio rei exterioris, sed operantis secundum rationem: quia eupraxia, id est bona operatio, est finis in omnibus virtutibus, In III. Sent. Tom. III.

(1) Al. non sunt.

ur dicit Philosophus in VI. Ethic. cap. 11. Ergo non est ibi rei medium, sed rationis tantum.

Sed contra. Medium quod accipitur secundum proportionem rei ad rem, est medium rei. Sed medium justitiæ accipitur secundum proportionem rei ad rem, ut geometricam in justitia distributiva, vel arithmetica in commutativa, ut dicit Philosophus in V. Ethic. cap. vi. Ergo est ibi medium rei.

Præterea. Justitia est æqualitas quædam. Sed æqualitas est etiam secundum rem medium inter plus & minus. Ergo etiam in justitia est medium rei.

## QUÆSTIUNCULA III.

1. Ulterius. Videtur quod in virtutibus intellectualibus non sit medium. Medium enim accipitur in passionibus, secundum quod mensuratur ad rationem. Sed in virtutibus intellectualibus non est accipere aliquid superius ad quod mensurentur. Ergo in eis non est accipere medium.

2. Præterea. Medium virtutis est inter contrarias passiones. Sed in intellectualibus non sunt contrariæ passiones; quia rationes contrariorum in intellectu non sunt contrariæ. Ergo in intellectualibus virtutibus non est accipere medium.

3. Præterea. Ubi cumque est accipere medium, est accipere extrema, quæ corrumpunt medium. Sed in intellectu non est accipere extrema: corruptio enim medium: quia intellectus non corrumpitur neque ex magno intelligibili, neque ex parvo, ut dicitur in III. de Anima text. vii. Ergo in virtutibus intellectualibus non est medium.

Sed contra. In virtutibus moralibus non invenitur medium, nisi secundum quod participant rationem rectam. Sed ratio recta per prius invenitur in intellectualibus quam in moralibus. Ergo verius est medium in intellectualibus quam in moralibus.

Præterea. Ars est intellectualis virtus, ut patet in VI. Ethic. sed Philosophus in II. Ethic. cap. iv. per medium artis probat medium virtutis. Ergo virtus intellectualis habet medium.

## QUÆSTIUNCULA IV.

1. Ulterius. Videtur quod etiam theologice virtutes medium habeant. In moralibus enim virtutibus est medium, secundum quod earum actus ex ratione recta procedunt. Sed virtutum theologiarum actus non sunt contra rationem. Ergo (1) sunt in medio.

2. Præterea. Spes est medium inter præsumptionem & desperationem. Sed spes est virtus theologica. Ergo virtutes sunt medium inter vitia.

3. Præterea. Fides vadit media inter duas hæreses, scilicet Nestorii, & Eutychie. Sed fides est virtus theologica. Ergo virtutes theologice in medio consistunt.

Sed contra. Bernardus dicit in tract. de diligendo Deo circa princ. quod modus charitatis est non habere modum. Sed virtutes dicuntur in medio esse, in quantum sunt modificatæ. Ergo charitas non est in medio, & eadem ratione nec aliæ duæ.

Præterea. Ubi nunquam contingit æquale reddere, ibi non potest esse superfluum. Sed in illis quæ sunt ad Deum, non contingit æquale reddere, ut etiam Philosophus in VIII. Ethic. c. xix. dicit. Ergo non contingit superfluum in virtutibus theologis, quæ

quæ Deum habent pro objecto, accipere; & ita non sunt in medio.

## SOLUTIO I.

Respondeo, ad primam questionem dicendum, quod omnes virtutes morales in medio constitutæ sunt. Virtutes enim morales sunt circa passiones, & operationes, quas oportet dirigere secundum regulam rationis. In omnibus autem regulæ consistit rectum, secundum quod regulæ æquantur; æqualitas autem media est inter majus & minus: & ideo oportet quod rectum virtutis consistat in medio ejus quod superabundat, & ejus quod deficit à mensura rationis rectæ.

Ad primum ergo dicendum, quod actiones, & passiones quamvis sint indivisibiles per essentiam, sunt tamen per accidens divisibiles, vel secundum intensionem, vel secundum tempus, vel secundum locum, vel secundum objecta, vel secundum aliquid hujusmodi: & ideo etiam secundum hoc est in eis medium accipere.

Ad secundum dicendum, quod medium accipitur in aliquo dupliciter. Uno modo, ex comparatione ad extrema ejusdem rei, sicut medium in circulo; & tale medium oportet quod æque distet ab extremis. Alio modo, ex comparatione ad aliquam regulam extrinsecam; & tunc non oportet quod medium æque distet ab extremis, sed quod æquetur regulæ: sicut patet quod quando secatur lignum ad aliquam regulam, non semper tantum auferitur quantum dimittitur: & tale medium est medium virtutis moralis, quæ habet rectam rationem pro regula: unde quandoque appropinquat plus uni extremo quam alteri secundum quod competit rationi rectæ.

Ad tertium dicendum, quod virtus est extremum quoad contrarietatem boni, & mali: quia bonum hominis in ratione consistit, & ita (2) in extremo æqualitatis ad rationem: sed quantum ad contrarietates circa quas est, virtus est in medio, sicut dicit Philosophus in II. Ethic. cap. vii.

Ad quartum dicendum, quod medium virtutis salvatur secundum adæquationem omnium circumstantiarum simul ad rationem. Contingit autem in aliquibus virtutibus quod adæquatis omnibus aliis circumstantiis, non potest accipi extremum in altero: quia superfluum non potest accipi in illo, nisi ex comparatione aliarum circumstantiarum, sicut in veritatis virtute patet: quia non potest homo nimis verum dicere, salvato quod dicat verum quod debet, & quando, & ubi, & cui, & cæteris. Sed superfluum in hac circumstantia accipitur secundum excessum in aliis: qui enim dicit verum quod non oportet, etiam nimis verum dicit. Et similiter etiam in magnanimitate est ratio quanti, & similiter etiam in castitate: quia non potest homo nimis abstinere, dummodo salventur aliæ circumstantiæ.

Ad quintum dicendum, quod virtus dicitur medium dupliciter. Uno modo ratione materiæ circa quam est, in quantum adæquat eam rationi rectæ; & hoc per se convenit omni virtuti morali, & sic est medium per participationem extremorum. Alio modo dicitur medium rationis habitus, in quantum scilicet habitus virtutis est medium inter habitus duarum malitiarum; & hoc est medium per abnegationem extremorum: & hoc accidit virtuti, nec oportet quod sit in omnibus virtutibus; & propter hoc non

(2) Al. in medio. (3) Al. intellectus vocis.

oportet quod iustitiæ habitus sit medius inter duas malitias, ut in V. Ethicor. cap. iv. dicitur, sed quod medium attingat in materia sua.

## SOLUTIO II.

Ad secundam questionem dicendum, quod iustitia oportet esse non solum medium rationis, sed etiam rei: cuius ratio est, quia iustitia est circa operationes, & secundum ordinem ad alterum: unde illum ad quem sunt operationes iustitiæ, accipiunt quasi regulam. Et ideo sicut passiones circa quas sunt aliæ virtutes, oportet quod æquantur rationi; ita oportet quod operationes circa quas est iustitia, adæquantur illi ad quem est iustitia; quod non potest esse, nisi secundum rem tantum reddatur quantum ei debetur: & ideo ibi est medium rei. Sed inter aliquos duos potest constitui æqualitas dupliciter. Uno modo secundum quod utrisque aliquid reddendum est; & in hoc constituit æqualitatem iustitiæ distributivam, quæ non dat æquale utrique secundum quantitatem, sed secundum proportionem, quia utrique dat quantum sibi debetur: & ideo medium in iustitia distributiva dicitur esse secundum proportionabilitatem geometricam, in qua salvatur eadem proportio, sed non eadem quantitas, sicut sex est medium inter quatuor & novem: quia in qua proportione se habet ad quatuor, scilicet in sexquialtera, in ipsa se habet novem ad ipsum; quamvis novem excedat sex in tribus, & sex quatuor in duobus. Alio modo constituitur æqualitas iustitiæ inter aliquos, in quantum unus debet recipere ab alio propter hoc quod ille prius recipit ab isto; & ad hoc est iustitia commutativa. Et quia tantum debet secundum quantitatem aliquis ab altero recipere, quantum ei tribuit; ideo in hac specie iustitiæ salvatur medium secundum proportionem arithmeticam, in qua salvatur eadem quantitas, sicut tria est medium inter quatuor & duo, quia utrinque est excessus in unitate.

Ad primum igitur dicendum, quod in iustitia est medium rationis, quod & idem est medium rei.

Ad secundum dicendum, quod in iustitia non consideratur conditio personæ, nisi in quantum ex conditionibus personæ variatur quantitas rei. Qui enim percipit principem, majorem partem facit, & ideo plus debet puniri. Et similiter etiam patet in iustitia distributiva, quod diversitas personarum in diversitatem rei redundat.

Ad tertium dicendum, quod in iustitia incidit in idem rectificatio operationis, & rectificatio rerum, ut dictum est.

## SOLUTIO III.

Ad tertiam questionem dicendum, quod bonum virtutum intellectualium consistit in hoc quod verum dicatur. Veritas autem consistit in quadam adæquatione (3) intellectus, & vocis ad rem. Et quia æqualitas est medium inter majus & minus, ideo oportet quod bonum virtutis intellectualis in medio consistat, ut scilicet dicatur de re hoc quod est. Si autem excedat vel in plus, vel in minus, erit falsum; quod se habet ad virtutes intellectuales, sicut vitium ad morales, & hoc in quantum intellectus absolute considerat; in quantum vero de uno in aliud discernit, accipitur medium non solum secundum commensurationem ad rem, sed secundum commensurationem conclusionum ad principia, vel eorum quæ sunt ad finem in operativis.

Al. ad rem. Al. ad rem. Al. ad rem.

Ad primum igitur dicendum, quod, sicut dicit Philosophus in X. Metaph. text. v. mensura intellectus nostri est res; & ideo secundum quod adæquatur rei, est rectum ipsius. Nihilominus & principia sunt regula conclusionum, & intelligens est quodammodo regula principiorum.

Ad secundum dicendum, quod contrarietas passionum accedit ad medium virtutis moralis: unde circa iram, quæ non habet passionem oppositam, est medium virtutis moralis secundum plus & minus in ipsa eadem passione.

Ad tertium dicendum, quod extrema in virtutibus intellectualibus non accipiuntur secundum magnum, & parvum intelligibile: sed extremum in plus est, quando attribuitur aliquid alicui quod non inest ei; extremum autem in minus, quando removetur ab eo quod ei inest. Utrouque autem modo falsum contingit; verum autem, quando dicitur inesse quod inest, aut non inesse quod non inest; & hæc extrema corrumpunt non substantiam, sed veritatem intellectus.

## SOLUTIO IV.

Ad quartam questionem dicendum, quod medium in omnibus virtutibus quæ habent medium, accipitur ex hoc quod virtus attingit in materia propria illud quod est æquale, & competens mensura. Unde si esset aliqua virtus quæ haberet mensuram ipsam pro materia, non esset ibi extrema, nec medium; sed bonum illius virtutis esset simpliciter attingere mensuram illam; sicut si alicujus virtutis materia esset veritas. Omnium autem prima mensura est ipse Deus, sicut etiam ipse Philosophus in X. Metaph. text. vii. dicit. Unde virtutes theologice, quæ habent Deum pro objecto, qui est ultimus finis, à quo omnia mensurantur, non possunt habere rationem medii, cum in materia illa non sit accipere extrema; sicut etiam in his quæ conjuncta sunt malo fini, non potest accipi medium.

Ad primum igitur dicendum, quod ratio recta non est ad hoc quod in materia illa videntur extrema, in qua superfluum esse non potest.

Ad secundum dicendum, quod fides est virtus theologica, in quantum adhæret primæ veritati; & ex hac parte non potest in ipsa medium esse (non enim potest nimis Deo adhære) sed ex parte illa qua aliquid affirmat, vel negat veritati primæ adhærens, ibi est medium, quia secundum hoc habet similitudinem cum virtutibus intellectualibus.

Et similiter dicendum ad tertium, quod spes non habet medium: secundum quod Deo adhæret, sed ex parte subjecti.

## ARTICULUS IV.

Utrum virtutes morales maneant in patria.

1. 2. q. lxxvii. art. 1. & de verit. q. v. art. 4.

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod virtutes morales non maneant in patria. Fides enim, & spes sunt nobiliores quam virtutes morales. Sed fides, & spes evacuatur. Ergo & morales virtutes.

2. Præterea. Virtutes morales perficiunt in vita activa. Sed hæc vita cessabit in patria, in qua erit tantum contemplatio. Ergo & virtutes morales non erunt in patria.

3. Præterea. Virtutes morales quædam sunt cir-

ca passiones. Sed hæc non erunt in patria. Ergo nec virtutes morales.

4. Præterea. Fortitudo, & temperantia sunt in irascibili, & concupiscibili. Sed secundum quosdam vires sensibiles non remanebunt in anima separata. Ergo nec temperantia, & fortitudo.

5. Præterea. In patria erimus sicut Angeli Dei: Matth. xxii. Sed derisibiles videntur qui ponunt castitatem, & sobrietatem in Angelis, quos deos nominat Philosophus in X. Metaph. text. l. Ergo nec in nobis erunt.

6. Præterea. Patientia est valde nobilis virtus, quia ipsa opus perfectum habet. Sed non remanebit in patria nisi quantum ad fructum, ut Augustinus dicit in Libr. de patientia cap. xxix. Ergo nec aliæ morales virtutes.

Sed contra. Istæ virtutes plenissime fuerunt in Christo. Sed illæ virtutes quæ evacuantur in patria, non fuerunt in Christo, ut fides, & spes. Ergo virtutes istæ non evacuatur.

Præterea. Sap. i. 15. Iustitia est perpetua, & immortalis. Sed non minus est necessaria ordinatio hominis ad seipsum, quam ordinatio ad alterum, quæ est per iustitiam. Ergo & aliæ virtutes morales manent in patria.

Præterea. In patria erunt homines Deo conformes. Sed hæc virtutes in Deo sunt exemplares, ut dicit Macrobius Lib. I. super somnium Scipionis. Ergo & in Sanctis erunt aliquo modo.

## SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod quælibet virtutum prædictarum habet duos actus: unum quem exercet circa propriam materiam; alium quem habet quando pervenit ad finem: sicut fortis dum est in periculo pugnae, exercet actum qui est circa materiam propriam, scilicet timoris, & audaciæ; sed quando jam domum victor revertitur, habet hunc actum, qui est gaudere de victoria per pugnam præcedentem adeptam. Dictum est autem, art. 2. quæst. lxi. quod virtutes morales quædam sunt infusæ, & quædam acquisitæ; & quod acquisitæ dirigunt in vita civili: unde habent bonum civile pro fine. Et quia hæc civilitas non remanebit in patria, ideo non remanebit eis aliquis actus nec circa finem, nec circa materiam propriam, secundum quam tendunt ad finem; & ideo habitus tollentur. Virtutes autem infusæ morales perficiunt in vita spirituali, secundum quam homo est civis civitatis Dei, & membrum corporis Christi, quod est Ecclesia: & hæc quidem civilitas in futuro non evacuabitur, sed perficietur. Unde remanebunt istis virtutibus actus qui sunt circa finem proximum uniuscujusque virtutis; & ideo remanebunt habitus virtutum moralium infusarum.

Ad primum igitur dicendum, quod fides, & spes sunt nobiliores moralibus virtutibus ratione objecti. Sed quia habent essentialiter annexam imperfectionem respectu sui objecti, quæ non est annexa virtutibus moralibus; ideo non oportet quod morales evacuarentur, sicut spes, & fides.

Ad secundum dicendum, quod virtutes quæ perficiunt in vita activa, etiam acquisitæ, non oportet quod tollantur, cum aliquis se transfert ad vitam contemplativam; sed habent alios actus, in quantum pertingunt ad finem proximum, quia contemplativa vita est finis activæ. Et ideo distinguit Macrobius loc. cit. harum virtutum tres gradus, secundum quod sunt in hominibus. Sunt enim politicæ, se-